

947

C O D I C E S

948

Poetafter ordinem Eremitarum *Augustinianor.* egressus videtur.

*M. duo C. sep. et oc. ruffi ruit ottakarus rex. (1278. 27. Aug.)
Albani (21. Jun.) simul M. tria C. cum quinque (1305) secundus
(Wenceslaus IV.)*

*Te preit Oswalde (4. Aug.) post annum (1306) mors iunioris.
(Wenceslai V.)*

*Primus obit bello, moritur gustando secundus,
Deferit et mundus iuuenem penetrante cultello.*

Litera fugiente additum: *in olom.*
Nam *Olomucii* confossus fuit *Wen-*
ceslaus V.

CCLXIII. VII. B. 1

78 Codex membraneus lat. Sec. X. aut XI. Folior. 305. f. per duas columnas nitide exaratus, Librorum titulis litera quadrata rubro, nigroque eleganter alternis, et initialibus ex aevi gustu depictis continet *Gregorii M. P. Rom. Moralia* five *Expositionem in Librum Job*, et quidem a *Libro XVII.* usque ad *finem.* Fol. 1. p. 1. praecedit *Fragmentum Libri Exodi* a C. XV. v. 27. usque ad C. XVI. v. 11. ex Interprete vulgato. P. vero 2. legitur: *In Nomine. Dei Summi. Incipiunt. Moralia. Gregorii. In Expositionem. Beati. Job. Per Contemplationem. Sumpta Pars. Quarta. Libri. XVII^m.* Initium: *Quotiens in Sancti Viri historia per nouum uolumen enotare mysterium typicae expositionis adgredimur &c.* Fol. 173. repetitur adducta inscriptio, sed sic definit: *Pars. Sexta. Libri. XXVIII.* Libro praecedenti subnotatum reperio eadem manu: *contuli ut potui.*

Et nos Codicem cum *Edit. Parisina* PP. Maurianorum 1705. T. I. f. contulimus, integrumque deprehendimus, et dignum, ad quem ob lectionis varietatem olim recurratur. *Jobi* Sententiae miniato plerumque caractere distinguuntur. Eodem ad calcem legitur: *Explicit Explanatio in Job Fauente Domino Deo Nostro Ihesu Christo Libri. XXXV.* Et paulo infra: *Iste liber est Iohannis Engelberti de Saxonia quem cum ceteris libris comparauit A Superstite maiore ecclesie Basiliens. Anno Domini M. CCC. LXXIX.* An is *Iohannes de Saxonia*, quem *Trithemius* c. 609. circa an. M. CCC. XL. claruisse ait, incertum. De *Majoribus* five *Advocatis Ecclesiarum Cathedralium* vide *Ducan- gii Gloss. med. et inf. Latinit.*

CCLXIV. VI. C. 15.

Codex membraneus lat. Sec. ^{14f} saltem XIII. Folior. nunc 86. f. eleganti manu exaratus, minioque distinctus, sed principio et fine multatus exhibet *Gregorii dicti Magni P. R. Scriptoris* Sec. VI. *Moralia in Job*, et quidem